


lter longè remotiùs à Sole interdum exporrigitur, quàm Stellavni-
quam. Existimauit igitur, eam orbibus relinquendam esse spissi-
tudinem, quæ motibus demonstrandis sufficiat. Cui respondi,
primùm, deferendum esse totum negocium, si duplo crassiores
fiant orbis: nam nimium προσθαφαιρέσειν ademptum iri: Deinde
nihil decedere nobilitati miraculosæ huius machinationis, si mo-
dò viæ ipsæ, planetarum descriptæ globulis, retineant hanc pro-
portionem; quibuscunque illi cogitentur orbibus, magnis an par-
uis. Et addidi, quæ cap. XVI. habes, de materia figurarum, quæ
nulla sit; atque inde non absurdum esse, corpora cum orbibus eo-
dem loco includere. Imò verò vel sine orbibus hanc viæ inæquali-
tatem defendi posse. In qua sententia video Nobilem & excellentis-
simum Mathematicum Tychonem Brahe, Danum, versari. Causam
tamen & modum hæc nostra disertius indicant. Nempe si eadem sit
causa tarditatis & velocitatis in singulorū orbibus, quæ suprâ cap.
XX. fuit in vniuerso mūdo, hoc modo: Via Planetæ eccentrica, tar-
da superiùs est, inferiùs velox. Ad hoc enim demonstrandum assum-
pta Copernico epicyclia, Ptolemæo æquantes. Describatur igitur
concentricus æqualis viæ Planetariæ eccétricæ; cuius motus vndi-
quaque æqualis erit quia æqualiter ab origine motus distat. Ergo in
medietate viæ eccentricæ supra cōcentricum eminenti tardior erit
Planeta, quia longiùs à Sole recedit, & à virtute debiliori mouetur:
in reliqua celerior, quia Soli vicinior, & in fortiori virtute. Atq; hæc
variationem motus non secus per circellum demonstrari, ac si verè
in eo circello Planeta moueretur æquali motu, cui libet facile est col-
ligere. Habes causam tarditatis huius, videamus nunc & mensuram:



A fit fons animæ mouentis, sc. Sol. B
centrum viæ E F G H, quam Planeta, sed in-
æquali passu, incedit, B D sit vt B A, & C B
eius dimidium. Cū igitur E F sit remoti-
or ab A, quàm N O quantitate A B: con-
ueniebat vt Planeta in E F tam tardus esset,
ac si duplo longiùs ab A recessisset, quan-
titate sc. A D, & super centro D curreret
Et e contrà, cū H G sit propior ipsi A quàm
P Q, eadem A B quantitate, conueniebat,
vt Planeta in G H tam velox esset, ac si du-
plo